



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

tradi à patre prohibebant : Vt cunquè fuerit : pralio illi ex quacunque causa Imperator congressus, eos fudit, ac penè omni Calabria Apuliâq; expulit. Quin insuper Constantinopolitanus populus amissarum de Italia prouinciarum iacturam in Nicephorum referens, qui sponsam filiam marito tradere noluerit, arreptis armis illum interfecit, ac Iohanni filio Imperium demandauit. Certum est autem omnium testimonio, Ottonem II. primi filium, Theophaniam Iohannis Imperatoris Constantinopolitani germanam accepisse coniugem : quam Iohannes XII. Romanus Pontifex simul cum marito in Lateranensi patriarchio coronauit : nam Otto pater, filium Ottonem, re in Saracenos Gracosq; bene gestate uersum, consortem adsciuit Imperij : uoluitq; Imperatorem à Romano populo, ex prisca consuetudine acclamari : Quem tum Pontifex inunctum, Imperiali diadema insigniuit : Ea q; in Ottonis II. coronati celebritate, Iohannes Pontifex Capuanâ ecclesiam ad Pandulphi principis merita, metropolitanam constituit. Inde in Germaniam Imperatores mouerunt per Gallias.

CAPVT XVI.

Hermannus interim Germania nouus dux, cum eas teneret partes commendatas, quæ & wandalis obiacent & Albi flumini, penè omnia possedit quæ nunc tenet dux Luneburgensis, & dux inferioris Saxonie. Extruxit autem arcem in montem, appellauitq; Luneburg : Non, ut fabulantur imperiti, ab idolo Luna, quod ibi sacrauerit Iulius Cæsar, aut nescio quis alius : hoc enim fabulosum supra cõuicimus : Sed à vicino loco Lune ad riuum Elmenow, ubi nunc degunt sanctimoniales ab aliquot seculis. Sic enim accipiunt arces uocabulum, vel à loco foundationis suæ, vel ex propinquis qui nomi-

nominationior est. Hūc ego nouum ducem Saxoniam quoque Transalbianam tenuisse crediderim, quod limitaneus esset ad vicinas Danorum & Wadalarumque nationes arcendas ab incursionibus, quas Normāni Dani crebras fecerant superiori etate, cum à Ludouicis, Carolis, Arnulpho, Reginberto, alijsque, quos supra commemorauimus, proceribus retrò pellerentur: Nunc verò postquam permisit rex Otto Danorum regi Slesuicum, in quo pater eius marchionem creauerat, opus erat praside ac duce, qui limites regnorum seruaret. Terram verò Brunswicensem, quæ postea in ducatum erigitur, & rursus Gottingensem, & quæ Transsylvuana dicitur, cum terra Wittenbergensi, quæ nunc superior dicitur Saxonia, & omnē Misnam Turingiamque tum Saxonici iuris, pro se ac posteris seruauere Imperatores: Alioquin stultum fuerit ditare extraneum, & suos exheredes facere. In hac arce noua nouus dux vt religioni inseruiret, gratus Deo qui illum prouexerit, vt susceptus de puluere priuatae familiae, sederet cum principibus, monasterium instruxit ad arcem, in honorem sancti Michælis archangeli, sub regula diui Benedicti, transferens abbatem primū Ludericum de cœnobio S. Pantaleonis ex Colonia.

CAPVT XVII.

ERat post natū Christū annus DCCCCLXXIIII. cum Imperator Otto Paschæ solennitatem in vrbe Quedelenborg cum filio, principum magno conuentu peregit: & multa constituens in prouincias, respexit imprimis Magdeburgensem urbem & ecclesiam, quia illam requiei suæ prouidit. Insignem virum Adalbertum primum illi fecit ordinari, vt diximus, archiepiscopum: illic subiecit omnes episcopatus per Wadaliā, quam tunc dixerē Sclauoniam: Erat tamen
episco-